

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1111

1109

1115

1105

1120

1100

1060

1010

0610

0110

Ende

Anfang

538

et omnia obruit. Dato autem, quod in alveo Nili maneret, Nili aquas dulces et sanas, quibus tota irrigatur Aegyptus et potatur, cum alii fontes non sint, corrumperet, inficeret et amaras redderet, impotables, steriles et inutiles. Sublato autem Nili servitio et utilitate, quomodo Aegyptus stabit? Inhabitabilis necesse erit, cum numquam senserit coeli clementiam sibi irrorantis et instillantis aquas, sicut aliis mundi regionibus impertitur. Insuper praeter hoc, quod scimus pro vero, per hoc opus Aegyptum desolari timemus terris procul a nobis existentibus; dum enim intuemur pelagi oceani pergrande corpus et incomprehensibile monstrum, praeruptos aquarum in coelum montes earumque atras opacitate speluncas: horridas et indomitas vires furentium et frementium aquarum si extra limen suum evocari modico motu contigerit, gravissima mox moles sequetur et primo insulis amborum marium obrutis et demersis, Persas, Medos et Arabes cum Aegyptiis aqua involvet et omnes terras in ora maris utriusque absorbet unda, nec poterit evadere Italia intemperatos accursus et paludes Venetianae inundatione aquarum oporientur, nec status maris erit et fluctus non cessabit, quoisque Alpium valles antiores impleverit et usque ad radices excelsiorum Alpium pervenerit, sicut ante aevum nostrum fuisse signa in montibus hodie monstrant, de quo modicum habetur P. 1. Fol. 30. A.

His rex Ptolomeus auditis et intellecta veritate ab opere incepto destitit, perpetua tamen signa suae magnanimitatis in montibus illis et collibus dereliquit. Et profecto, si consiliarii manifesta ratione suos conatus non compressissent, in finem licet non intentum opus deduxisset, nec multum difficile fuit, cum spatium inter Nilum et mare rubrum vix habeat millaria theutonica sex.

Ecce, lector, quantam evagationem nunc a proposito peregrinationis feci, gyrando paene universum mundum, occasione scissorum montium et rupium hic ante oculos nostros! Dum ergo diutius mirantes juxta maris terminum stetissemus, tandem progressi sumus (72a) et mare rubrum postergavimus et descendimus per arenosa et latissima campestria.

